

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Brevis Instructio De Solido Speciei Argenteo Apud  
Treviros**

**Neller, Georg Christoph**

**[Trier], [MDCCLIX?]**

**VD18 10149112**

[Brevis Instructio De Solido Speciei Argenteo Apud Treviros]

**urn:nbn:de:gbv:45:1-16305**



## I. N. J. C.



I. Solidus *speciei* argenteus est nummus cursibilis, ex argento *ere mixto*, qui Germanicè nominatur ein **Schilling**, ut in Saxoniâ, & Germaniâ inferiore; vel **Schillinger**, ut in Franconiâ.

II. Varios variæ servant hodieum provinciæ: \* *Treviri tenent rem, & veritatem, nomen dimiserunt*; & hinc confurgit dubium, quanti fuerit apud Treviros unus solidus *speciei*?

\* Solidus *Belgicus*, sive *Zscalinus*, omnium solidorum *minuta speciei* est maximus, qui semper aliàs solebat valere apud nos 8. *petermengos* cum dimidio; vulgus autem hoc tempore acceptat eum (prohibitione Electorali novissimâ non obstante) pro 9. *petermengis*, sic, ut quatuor talium solidorum præstent tria capitella, sive unum florenum Rhenensem. In Re-cess. Imp. de anno 1559. §. 14. & 15. extra ordinem approbati fuerunt, cum *Württembergensibus*, & *Badensibus*, solidi *Herbipolenses*, *Lubecenses*, & *Sandici*, quorum cuneus ibi effigiatus cernitur. *Herbipolensis* solidus, S. Kilia-

A



S. Kilianum præ se ferens, valet 9. denariis respectivè antiquis, de quibus ibidem §. 22., sive 6. novis, sive tribus triariis Franconicis: 28. tales solidi faciunt 15. Triarios Trevirenses: hoc tempore tamen, ubi vilissimi circumferuntur *grossi* trium crucigerorum Rheni, præsertim *Hassiaci*, Treviri acceptant schillingum Franconicum pro grosso prædicto, licet eum non valeat in Franconiâ. *Tremonensem* quoque *solidum*, sive *Dordmundanum*, habeo, cuiusdam anno 1656. cum inscriptione: *Schilling*, Trevirensi petermengo benè parem.

III. Apud Treviros non inveni ego, ante CUNONEM\*, & WERNERUM Archi-Episcopos, *specialem monetam*, quæ *solidus* fuerit cognominata.

\* Hic Elector anno 1372. cudi fecit nummum album, sive argenteum, *unius solidi*, intellige *numeralis*, & ficti, sive 12. denariorum, & alium album *duorum solidorum*, sive 24. denariorum. Vid. *Dissert. meam de Solido ficto* §. XV. Sed, quia isti solidi coæquabantur solidis fictis, idè præsentis considerationis non sunt. Cudit quoque monetam 2. penningorum; sed non inveni, quòd hæc cognominaretur *solidus*.

IV. WERNERUS Archi-Episcopus (quem *monetæ minutæ*, quæ hodiernum utuntur Treviri, potissimo jure Statorem dicere possumus) anno 1394. *novum* invenit *solidum*, eidemque epigraphen dedit *solidi novi Trevirensis*.\*

\* Observavit jam Reverendissimus, & Illustrissimus ab HONTHEIM in *Prodrom. Tom. 1. pag. 637. ad num. monetar. XXVII.*, novum hoc esse monetæ genus; neque enim hæcenus *solidos* occurrisse. Hoc sic accipio, quòd ante *Wernerum* nullus talis albus de Trevirensibus gereret *inscriptum nomen* solidi: Res ipsa tamen jam fuit sub *Cunone*. Attende sis ad monetæ, ab hoc Electore cusas anno 1372. *Dissert. cit. §. XV.* Nisi fallor, ibidem denarius, jam declinare incipiens, denotat nostrum modernum Crucigerum Trevirensis: *Albus duorum solidorum* fuit capitellum: *albus minor, unius solidi*, erat medium capitellum: *albus 6. denariorum* noster Triarius: *albus duorum denariorum* noster Petermengus, & is ipse nummus, quem postea recusum *Wernerus* nominavit *solidum novum*; non, quia *novus nummus* erat, sed, quia *novo nomine* vocabatur *solidus*.

V. Ordinatio illa *Werneriana* (in *Prodrom. Tom. II. pag. 1176.*) de hoc solido sic habet: **Wort soll man schlagen**

a) **Cynen**



- a) Eynen Schilling, der sollen drey einen Grossen thun.  
 b) Eynen Halben Schilling, das ist, eine Englisch, der sollen 12. vor einen Peters-Grossen lauffen.

VI. Erat igitur iste solidus unus *tremissis*, seu *tertia pars*, \* & *trifector unius grossi*, id est, *triarii Trevirensis*, aut *bacionis Petri- ni*, de quo *grossio* aliàs.

\* Noli tamen propterea *solidum* nostrum confundere cum illâ monetâ, quâ in conventionione monetariâ Electorum Rheni anno 1425. dicitur ein *Driling*; hæc quippe est *dimidius* ille *grossus*, qui nunc vocatur apud nos à tribus petermengis *Triarius*; sive ein *Dreyling* erat *trium anglicarum*, aut (sicut nunc dicimus) *crucigerorum, Trevirensium* moneta, vocaturque in superiore Germaniâ, ubi cum meliùs ab *albo Rhenano* discernere videntur, quàm *Treviris*, eine *Kand-Münz*, ein *Schwehrer*, ein *guter Halb-Bas*. De hoc *trilingo* extat alia conventio Electoralis sub Rabano Archiepiscopo. Wir haben desgleichen auch thun münzen halbe *Weiß-Pfenning* (predictos nempe *Triarios*) und *Dryling*, gleich gut an Silber, als die *Weiß-Penning*, und sollen derohalben *Weiß-Penningh* 224., und der *Dryling* 448., und mit mehr / uff eine *Köllnische Mark* gaen. *Ibid.* pag. 1178. b. & 1179. b. Isti 448. *Trilingi* ejusmodi faciebant 53. *capitella*, sive 17. *florenos Rhenenses* 24. *petermengos*. In Conventionione monetariâ *Wernerii* *Trevir.* cum *Joanne Moguntino*, & *Friderico Colon.* de anno 1409., quam ex *Wenckero* edidit *Joachim Tomul.* 9. pag. 54., quatuor eorum faciebant illum *grossum*, quorum 20½. præstabant *florentinum aureum*, tunc conventum. Hi *Trilingi* in usu erant ante *Wernerum*; habeo enim unum *Balduini*, qui in *lothone* tenet 14., in pondere unam 16tam, & est ipsissimus, qui conspicitur in *Prodrom. H. D. T. Tom. I.* pag. 642. num. XIII.

VII. Erat *sexta pars unius grossi Petri- ni*, \* sive *medii capitelli*, de quo similiter, ubi de *Turonensi*.

\* Qui interdum quoque vocabatur *grossus Turonensis*, vel *albus rotatus*, & *grossus duplex*; bacio verò *petrinus albus simplex*. Vid. *Dissert. de Solido ficto* §. X. & XXI.





VIII. Continebat *duas Anglicas*, quarum *sex Trevirenses Triarium* constituunt. \*

\* Anno 1502. sub JOANNE *Badensi* Archiep. dicebatur valere *quatuor Hallensibus*. Prodom. Tom. II. pag. 1182. h. ubi sic: *Ein Trierisch Schilling* 4. *Heller*. *Hallensis* hic sumitur pro moderno *duplo denario*, quorum 12. faciunt unum *Triarium*, ut omnia ibidem examinanti patebit. Nec te perturbet, quod ibi mox subjungatur: *Ein Kreuzer* 5. *Heller*; non enim erat ille *cruciger* talis, quales hodierni, sed qualis est ferè *medius bacio Rhenanus*, hodie vulgò *ein Weissspenning*, qui & olim cruce signati erant, & multi hodiernum, valentque eorum decem unum *capitelum*, sive 48. duplos *Trevirenses*.

IX. Cùm igitur 6. de istis solidis fecerint *unum grossum Petrinum*; (§. V.) horum verò 20. unum *Aureum WERNERI*; sequitur, 120. solidos speciei eundem aureum præstitisse: Aureus autem iste fecit 6. libras *Trevirenses*. \*

\* *Der Peters-Groschen* 20. *sollen vor einen guten schwarzen Gulden steen*. *Soll der Gulden nit mehr, dann 6. Pfund Gelds Trierischer Wehrongen seyn*. Ibid. Sex libræ sunt 720. denarii; sequitur, *unum solidum sex denarios fecisse*. Hi denarii jam declinaverant valdè à bonitate denariorum, quæ fuerat ante *WERNERI* tempora, & æquabantur à certis *Hallensibus*, certos autem superabant. Hinc videre est, qualiter liber æstimationis monetarum antiquus, in Archivo Electorali *Trevirensi*, ab anno 1358. usque ad annum 1558. notaverit: *Solidus pro sex Hallensibus rotatis*; simile verò registrum: *Solidus pro 4. denariis, vel sex Hallensibus*; e contra ordinatio monetaria de anno 1502. solidum æstimaverit 4. *Hallensibus*; nempe pro diversitate *denariorum*, & *Hallensium*, qui successivè decreverunt in tantum, ut hodiernus solidus, sive *petermengus*, æstimeretur ad octo *denarios*, sive quatuor duplos, secùs, quàm olim, ubi *Hallensis* unus non erant duo denarii, sed tres *Hallenses* unus denarius.

X. Prædicta firmanur per comparationem ocularem solidi *Werneri* cum *Petermengo*, vel sic dicto *albo Trevirensi*. Anno 1759., mensè Majo, in Ecclesiâ inferiore S. Simeonis *Treviris* inveniebantur





tur in supremo pulvere, amotis ex navi stallis Chori, 4. solidi ejusmodi, quorum duos adhuc teneo. Forma hæc est:



XI. Edidit jam similem Reverendissimus, & Illustrissimus ab HONTHEIM in *Prodrom. Tom. I. tab. 2. num. XXVII.*; sed differt aliquatenus à cuneo, quem hinc fisco; \* quamvis in substantiâ idem sit nummus.

\* Nam 1) in principali facie, ubi S. Petrus pectorali imagine, sinistrâ clavim, dexterâ hastatam crucem tenet, Crux ipsa incurrit in circulum literarum, & stat obliquè, secus, quàm in solido Honthemiano. 2) In decussatis infra S. Petrum clavibus, quâ parte apprehenduntur, apparet quâdam diversitas. Nec 3) inscriptæ literæ planè coincidunt; nam Honthemianus habet: *Solid. novs. Trev.*; mei autem omnes: *Solid. novs. Tre.* 4) In aversâ meorum scutum *quadripartitum* est, duplicatis pro more insignibus Archi-Episcopatus, & Gentis Comitum à Falckenstein; cum ibi sit *bifidum*. 5) Ibi scutum gentile stat cruci Trevirensi à dextris, quod, quia contra rectitudinem ordinis est, Reverendissimus, & Illustrissimus Editor oscitantæ sculpsentis attribuit; in meis autem omnibus cernitur crux à dextris. 6) Crucula, in supremitate circuli conspicua, includitur cuidam quadrangulo, secus, quàm ibi. 7) In meorum aversâ scriptum est: *Wernhe: Areps: Treve*; ibi verò: *Werner Arepus Trev.*

XII. Hic nummus *solidi* Trevirensis ita similis est vel ex solo aspectu alicui *Petermengo*, sive *albo* Trevirensi, ut homines etiam rudiores primâ facie dixerint, esse *Petermengum de antiquis*.

XIII. Comparatus ad diversorum Electorum nostrorum Petermengos, novissimos & pondere, & lothone superat; illum, quem cudit *Philippus Christophorus*, pondere æquat, lothonis gradu uno major est, utpote 6. lothonum; illum *Caroli Caspari*, qui præcellit



omnes, æquat librâ, sed non materiâ, utpote, qui ferè 7. lotho-  
num est. \*

\* Hæc bonitatis *intrinseca* diversitas, & respectiva declinatio, quæ omnibus  
passim monetis parvis accidit, creditori censitico, cui forè sub WERNERO  
constitutus erat *solidorum in specie* census, non præstat causam, nunc e. g.  
pro 12. solidis speciei antiquis petendi *plures* Petermengos *recentiores*,  
quasi qui *materia deterioris* existant; quia diminutio valoris *intrinseci* non  
curatur, quædum moneta recens, deterior in argento, subit tamen ad-  
huc idem officium; quod olim subibat moneta vetus, melior in lothone;  
sicut subire perrexit Petermengus officium solidi, quorum tres æquè ho-  
die faciunt triarium, sex medium capitellum, ac olim solidi; eùm in  
nummis non tam *materia*, quàm *potestas usualis* consideretur, eaque ma-  
teria, formâ publicâ percussa, usum, dominiùmque suum, non tam *ex*  
*substantiâ* præbeat, quàm *ex quantitate*. l. 1. princ. ff. de contrab. empt.  
Vid. COVARRUV. de veter. numism. collat. Cap. 7. §. un. num. 2. Ca-  
sus dat GONZALEZ in cap. 26. de cens. num. 6

*Diversum*. Si moneta, pristinae meliori surrogata, amisisset *vetus officium* suum,  
aliud foret: e. g. si nunc quatuor petermengi moderni desiderarentur ad  
faciendum Triarium. Exemplum est in Cap. 20. de cens., ubi loco trium  
denariorum *Papiensium* postea solvebantur *novem* denarii *Lucenses*: hi au-  
tem ipsi quoque successu temporis declinaverunt in tantum, ut *tres* Lu-  
censes *antiqui* valuerint 5., vel 6. *Lucenses novos*: tunc enimverò loco  
unius *Papiensis* non sufficit amplius solvere tres *Lucenses novos*, sed,  
aucto novorum numero, compensandi fuerunt tres *Lucenses antiqui*, sol-  
vendo 5., vel 6. *Lucenses novos*. Idem esset, si census sac. XIII. vel  
XIV. loqueretur de 20. denariis, & vellent hodie solvi 20. denarii mo-  
dèrni, qui certè non efficiunt capitellum, sicut olim, consequenter,  
*amissâ potestate publicâ*, non sunt amplius *eadem moneta*, sed *distincta spe-*  
*cies*: unde per cap. penult. eod. solvetur in illo nummo, qui, licèt aliud  
modò nomen habeat, *in potestatem* tamen veteris *denarii* successit, nem-  
pè hodiernus *Cruciger Rhenensis*. Ita, teste COVARRUV. *loc. cit.* verfu.  
*quòd si veteres*. unanimis DD.

XIV. *Dimidium* unius integri solidi *Trevirensis*, id est, *Angli-*  
*cam*, stitit ex JOACHIMO (in *tomul.* 9. *collect. monet.* pag. 240.  
*tab.* 12. *num.* 103., qui etiam inter monetas *Moguntinas* *tab.* 2.  
*num.* 19. & 22., & inter *Colonienses* *tab.* 8. *num.* 77. & 78.,  
con-



confimilem exhibet) Prodrumus *Hist. dipl. Trevir. Tom. I. num. XXVI.* \*

\* Credidit *Ramus Honthemius*, istam monetam patriorum nummorum minimam fuisse; sed tempore *Wernerii denarii* erant minores *Anglicæ*, licet olim *denarius* hanc superaret, & sub *Cunone* æquaret.

XV. Et hunc quidem solidum speciei constituit per Treviratum *authoritas Principis*, ostendit cuneus in rei veritate superstes. Ast, post medium circiter sæculum XV. *usus popularis* aliud introduxit nomen *solidi in specie*, qui non tam *ein Schilling*, quàm *ein Schiedling*, id est, *ein Scheid-Münz*, sive parva moneta diviforia, merebatur appellari.

\* Nam *solidus WERNERI integer* non ampliùs dicebatur in vulgari sermone *ein Schilling*, sed, ab effigie, & parvitate nummi, diminutivè *ein Petermengen*, & in computibus, *ein Albus*; *dimidius* autem solidus, olim una *Anglica*, *der halbe Schilling*, abjectâ voce: *Halb*, nominabatur *ein Schilling*; itaque unus *Petermengus* evaserat populari usu in duos solidos.

XVI. Non inveni hætenùs *ordinationem publicam*, quæ istam postremam solidi acceptionem apud Treviros sustineret; sed *privatas* duntaxat *annotationes*; \* ubi solidi tales, utpote levioris monetæ genus, reducebantur ad graves monetas, quæ dicebantur *rotatæ*, *Redder-Geld*, & præfertim sæc. XVI. publicè indictæ fuerant repetitis Edictis.

\* Et vel idèd non valdè diu duravit hæc *schillingi popularis* appellatio; sed, succedente in tractu *Rheni Crucigerorum* vocabulo, nunc usque adèd ex-cidit memoriâ nostratium, ut pauci de ejusmodi solido ampliùs aliquid noverint.

XVII. Duas ejusmodi observationes *privatas*, quæ coïncidunt, afferam, ambas cuidam ænigmati similes. Quidam creditor, hæc vulgari suppositione solidi deceptus, legens, ab anno 1336. circiter, Altari suo deberi 16. solidos, notavit in registro censuum ad  
annum



annum 1606., 16. solidos facere 1. alb. rotat. 2. denarios, 2. Hallenses.

XVIII. Quid iste significare voluerit, deprehendi demùm ex aliâ observatione pariter privatâ, antiquæ monetæ, ab amico communicatâ, quæ hoc modo supputat:

3. solidi, sive Schilling, faciunt 2. denarios rotatos.

8. denarii rotati 1. album rotatum.

6. solidi faciunt unum album simplicem.

2. albi simplices unum album rotatum.

Par ratio de denariis.

12. solidi faciunt unum album rotatum.

12. Heller faciunt unum album simplicem. \*

\* Secundùm hanc observationem minima monetarum est *Hallensis*; post hunc venit *solidus* per *duos* Hallenses; dum econtra anno 1502. JOANNES Bardenfis taxaverat *solidum* Trevirensis per *quatuor* Hallenses, manifestâ probatione, quòd vulgus per suum *solidum* intellexerit *dimidium* *solidum* Trevirensis. Post *solidum* venit *denarius rotatus*, valens  $1\frac{1}{2}$ . *solidum*, sive tres Hallenses: post *denarium rotatum albus simplex*, valens 6. solidos, vel 12. Hallenses, vel 4. denarios rotatos: post album simplicem denique *albus rotatus*, sive *duplex*, valens 24. Hallenses, 12. solidos, 8. denarios rotatos, 2. albos simplices. Eandem proportionem servavit præcedens Annotator; (§. XVI.) quòd nempe *solidus* sit major *Hallensis*, minor *denario rotato*; quòdque 12. solidi faciant 1. album rotatum, 3. solidi 2. denarios, unus *solidus* duos Hallenses.

XIX. *Album rotatum*, einen *Rader-Albus*, bifariè acceptum fuisse, certum est. Vid. *infra* §. XXV. Hic verò pro *duplici albo*, sive pro *duplici Triario* Trevirensi, accipi debet; quia est *alterum tantum* albi *simplicis*; pro quo ultimo constituendo nec octo denarios rotatos invenies, nec solidos, & Hallenses sæc. XVI. tam modicos, ut *denarius*, quorum octo fecissent *triarium*, subdivideretur porrò in tres semi-solidos, sive tres Hallenses. Hallensis Trevericus sæc. XVI.

XVI.



XVI. fuit noster duplus, *ein Double*, ut probat Ordinatio monetaria *Joannis* Badensis de anno 1502. Est igitur *albus rotatus* hic medium capitellum, sive *Grossus Petrinus*, qualium figuras exhibet *Hist. Dipl. Trev. pag. 885.* sub numer. XI. XII. XIV. XV. XVI. XVIII. XIX. XX. XXI. XXII., eosdemque in fine §. 3. pag. 888. vocat *albos grossos*, in §. 5. ex communi sermone *Rader = Albos*. Waradinus Colonienfis, quem ibi laudat, malè æstimavit hunc *Rader = Album*, juxta valorem intrinsecum ad pedem Lipsiensem, 6. albis Colonienfibus; nam sunt certissimè medium capitellum (Vid. supra §. V. & VII.) optimæ materiæ, videlicet 15., & subinde 15½. lothonum, ponderantque præcisè tres 16tas; dum econtra nequidem octo albi Colonienfes integraliter faciunt medium capitellum. Et cur idem iste Waradinus loc. cit. §. 5. æstimavit *simplicem Rader = Album* ad 4½. albos Colonienfes; illos verò *duplices* tantùm ad 6. albos Colonienfes? Manifestum hinc est, non omnibus Waradinis, solis, tutò fidi posse.

XX. *Denarius rotatus*, sive *octava pars* medii capitelli, hic est *Cruciger Imperialis*, *der Reichs = Kreuzer*; quorum 72. sub CAROLO V. fecerunt florenum Imperii, id est, Thalerum hodiernum *Imperialem*, 18. Triariorum Trevirensium; \* sub FERDINANDO I. autem 60. tales Crucigeri, quos benè describit Author Lexici Oeconomici verbo: *Kreuzer*, 15. Triarios Trevirenses, sive modernum florenum Franconicum; \*\* postea 48. *vulgarem florenum Rhenensem*, sive 60. Crucigeros Rhenenses; prout hodiernum adhuc circumferuntur multi tales Crucigeri cum inscriptione: 48.

\* Recept. Imper. de anno 1551. §. 36. Nec non Edictum CAROLI V. e. a. super monetâ quatuor Electorum Rheni, ubi: *Acht und zwanzig ganze Weispfenning, sechs und fünfzig halbe Weispfenning, sollen einen Gold-Gulden, oder zwentz und siebenzig Kreuzer, gelten.*

\*\* R. I. de anno 1559. §. 3. & seqq. usque ad 9. Non intelligi autem ibi per Crucigeros Imperii illos, quorum *quinque* faciunt unum Triarium nostrum,  
B
sed





sed alios, quorum *quatuor* eum statuunt, arguitur ex §. 14. ubi 28. schillingi *Herbipolenses*, *Wirtembergenses*, *Badenses*, faciunt 60. crucigeros, id est, 15. Triarios *Trevirentes*; nam horum schillingorum solummodo 22. præstant jam 60. *Crucigeros Rhenenses*, sive *florenum Rheni*, 12. Triariorum *Trevirensium*.

\*\*\* Duo igitur ex istis *denariis rotatis* faciunt unum *Dreßling*, de quo supra §. VI., & cujus cuneus effigiatur in *Recess. Imperii* de anno 1559. pag. m. 701. sub nomine *Zweien Kreuzer*; cum *Treviris* diceretur idem *ein Dreßling*, quia hi duo *Crucigeri Imperii* faciebant 3. *Penningos*, sive *Crucigeros Trevirentes*. Id quod perfecte concordat cum nostro *systemate*, videlicet, *tres solidos Trevirorum*, populariter dictos, fecisse *tres crucigeros modernos Trevirentes*: hi enim hodieque faciunt duos *Crucigeros Imperii*, sive *dimidium bacionem Petrinum*; & 72. de illis *Crucigeris* faciunt 108. *Crucigeros Trevirentes*, sive *modernum Imperii Thalerum*.

XXI. Et sic facile resolvitur propositum §. XVII. ænigma: nempe 16. solidi tales faciebant 1) per 12. solidos *unum album rotatum*, primi generis, id est, *medium capitellum*, quod constituunt octo *Crucigeri de gravissimis* in Imperio, *decem de gravibus*, sive *monetæ Rhenensis*, *duodecim de levibus*, sive *Trevirensibus*: præterea 2) per 3. solidos *ulteriores duos denarios rotatos*, id est, *quartam partem* unius *medii capitelli*, sive *tres Crucigeros Trevirentes*: denique 3) per *residuum unum solidum*, nempe *16tum*, *duos Hallenses*, id est, *duplos Trevirentes*: verbo, & in summâ, 16. solidi *populares* apud *Treviros* erant 8. solidi *integri*, sive 8. *Petermengi*. \* *Confer. Dissert. de Solid. fict. §. 21.*, ubi habes *grossum Turonensem* 8. *denariorum*, *album 4. denariorum rotatorum*: *Econtra §. 19. & 20. Turonensem* 10. *denariorum*, nempe *non-rotatorum*.

\* Sed ad hanc *minorem solidi Trevirensis simplicis acceptionem* perveniri non debet, quotiens agitur de solidis *ante medium XV. Saculum*; quia illo tempore sub nomine *solidi* aut veniebat *solidus fictus*, aut *integer solidus specie*, non *dimidius*, utpote qui postremus ab Antiquis vocabatur *Anglica*, aut *dimidius solidus*. Inspicitur autem *tempus contractus*; & prout quidque *contractum est*, ita & *solvi debet*. l. 80. ff. de solut.; nec debet *creditori nocere*, si *successu temporis moneta majoris potestatis antiquum suum nomen*



men amiserit; moneta verò *minoris valoris*, tam in- quàm extrinseci, no- men, à majorè monetâ amissum, acceperit. Quis enim v. g. hodie pro censu *grossorum*, in sæc. XIV. constituto, teneretur acceptare *grossos* modò *vulgares* trium duntaxat Rhenensium Crucigerorum? Sanè non solvere- tur *idem*, sed *aliud*. Fluit ex naturâ *totius*, quod nec *duplicatum* est, nec *dimidiatum*, ut, sicut moneta, quæ nominatur, *simplex*, non *dupla- ta*, solvi debet, ita quoque moneta illa *integra*, non *dimidiata*, aut aliàs *minorata*.

XXII. Hinc illustratur ulterior ænigmatis in prædictâ *Observa- tione monetæ antiquæ* continuatio, quæ sic habet:

1. libra facit 20. solidos.
20. solidi faciunt 3. albos simplices, & 2. solidos.
2. libræ faciunt 6. albos simplices, & 4. solidos.
3. libræ faciunt 10. albos simplices.
10. albi simplices faciunt 5. albos rotatos. \*

\* Nempè *usus pagamenti* sæc. XVI. introduxerat *aliud genus libra*, quàm, de quo dixeram in *Dissert. de Solido fcto* §. XVII. *Libra* constituebatur in 10. *albis*, & quidem in superiore Treviran, sumendo *album* pro *Petermen- go*, æstimato ad 12. Hallenses intentionales; ut suo modo remaneret pes antiquus, quo *libra pagamenti* constituebatur per decies 12.; prout constat ex *Originali*, quod habeo, *Registro Sigilliferi Trevirensis* super chari- tativo subsidio Ecclesiarum omnium totius superioris Archi- Diœceseos de anno 1503., in cujus titulo notatur: *In presenti Registro computatur qua- libet libra pro X. albis*: (hic scriptum erat: *rotat.*, sed eodem atramento cernitur mox deletum) *Solidus est VI Siller, & denarius 1. Siller, moneta usualis Trevirensis*. Et proba sit: *Ecclesia S. Gangolphi de hac urbe* solvit dicto anno *quatuor* subsidia, pro primo solutionis termino, *per 5. florenos Mosellanos, sive 10. Capitella*, unum subsidium in simpli erant *tres libra*: hæ *quadruplicata* supponunt pro 120. *Petermengis*. Proba verò, quòd per solidum intellectus fuerit *dimidius Petermengus*, sit hæc: *Ecclesia S. Medardi* propè S. Mathiam solvit in simpli charitativo 9. *Schilling*, erant quatuor simpla, consequenter 36. *Schilling*; pro his accepit Sigilli- fer 18. albos, id est, *Petermengos*. Isti Hallenses 12., qui fecerant *Pe- termengum*, merè sunt *imaginarii*, & inventi esse videntur, ut servare- tur, *decies 12. facere libram*. Cùm igitur 20. solidi fecerint unam talem libram, libra verò 10. albos, id est, *Petermengos*; sequitur, in prædictâ *Observatione* pro solido acceptum fuisse *medium Petermengum*, sive *Crucigerum Trevirensis*. Exhinc videbis mox, quòd eadem observatio per *albos simplices*, quorum 10. fecerunt tunc tres libras, intellexerit nostrum





*Triarium*; per albos verò rotatos, quorum 5. facerent similiter 3. *libras*, five 10. *simplices* albos, medium capitellum.

XXIII. Quandoquidem ergò per Treviratum tunc moris erat, ut etiam *Crucigeri* vocarentur *Schillingi*; ipsimet autem *Crucigeri* inter se differebant potestate; hinc interdum in computibus occurrunt *solidi plus valentes*, quàm aliquis *Cruciger Trevirensis*. \*

\* Exemplum esto ex computu Hönningensi pro S. Simeone de anno 1562., qui sic ponit: *Habui duos famulos per 18. dies, cuilibet per unum diem 7. Schillingi: facit 5. florenos 6. albos moneta Hönningensis. Curtarius tantundem dies habuit: facit 2. florenos 6. albos.* \*

\* Isti floreni, & albi sic distant à florenis, & albis Trevirensibus, ut 6. floreni, & 12. albi monetae Hönningensis faciant in moneta Trevirensi 9. fl. 18. alb., sumendo, ut supra, florenum Mosellæ quemlibet pro 2 capitellis, & album pro Petermengo; sicuti omnes ferè computus hujatum Ecclesiarum, & Communitatum digerebantur per tales florenos, & albos, donec perrecenter quædam inceperint computare per thaleros imperiales, & petermengos, more mercatorum. Accipe nunc ibi florenum *Rhenanum*, nempe pro 12. Triariis Trevirensibus, aut pro 24. dimidiis, quos supra §. VI. probavi vocatos esse *Drenlinge*, hodie dixi vulgò per superiorem Germaniam vocari *Land-Münze*. *Schillingum* accipe pro 4ta parte unius Triarii, five pro illo *Crucigero*, de quo in R. I. de annis 1551. & 1559. Et habebis pro duobus famulis 126. dimidios Triarios: hos multiplica per 2., & resultabunt 252. *Crucigeri Imperij*. Subsume nunc mercedem 36. dierum, multiplicatam per 7., & habebis similiter 252. *Schillingos*. Pariter *Curtarius* promeruit 126. *Schillingos*; accipit 63. prædictos *Trilingos*; multiplica 63. per 2., & habebis, quam promeruit, mercedem 18. dierum, quolibet 7. *solidos*. Itaque *talis Schillingus* popularis se regulat semper à suo albo, quem immediatè in duas partes secat: *qualis albus, talis Schillingus*, gravior nempe, aut levior,

*Additio*. *Schillingo*, de quo iste computus, par est *Tiguvinus solidus*, de quo *Dictionarium Oeconomicum Chomelii* translationis Germanicæ, verbo: *Schilling*: *In Zürich ist ein Schilling 6. Ungster, oder 4. gute Pfennig, deren 72. einen Reichthaler machen.* Talis quoque *solidus* evasit ille *Sundicus solidus*, qui per R. I. de anno 1559. §. 48. devaluatus fuit, ut solum pro *Crucigero* acceptaretur.

XXIV. Sed





XXIV. Sed & leguntur in libris, & contractibus antiquis, *Radder-Schillinge, solidi rotati*, de quibus est anceps disquisitio. \*

\* HÜBNER. in Lexico ponit: Ein Radder-Schilling im Eölnischen ist 16. Heller. Dictionarium Oeconomicum præcit. verbo: Radder-Albus, ait: Radder-Albus, oder Radder-Schilling, ist eine Scheid-Münze im Eölnischen, welche bey nahe 6. gute Pfenninge gilt: id quod repetit verbo: Schilling: Ein Radder-Schilling im Eölnischen thuet ungefehr 6. gute Pfenninge. Bonum penningum utique intelligit illum, quorum 4. faciunt *Crucigerum Imperii*, 8. supra descriptum *Trilingum*, 16. *Triarium Trevirensis*. Dicit: bey nahe, ungefehr; id est, non penitus. In ejusmodi schillingum contraxisse videtur Computans Hönningensis pro S. Simeone de anno 1561., ubi sic: *Habui duos famulos, quemlibet per decem, & novem dies, cuilibet quolibet die pro salario 7. Schilling: facit in moneta Trevirensi 7 flor. 17. alb. Curtarius totidem dies: facit 3. flor. 20. alb. 6. Heller*, accepit ille florenum, & album, sicut supra, *Trevericè & 6. Hallenses pro dimidio albo*, sicut ex summâ lateris feci probam. *Applica Crucigeros, Imperii, Rhenenses, Trevirenses*, hîc pro schillingo, rem non conficies. Sume verò talem schillingum, qui propè facit 6. bonos *Crucigeros*, & res succedet: nam merces famulorum, sive 266. Schilling, facit 185. *Petermenger*, sive 62. *Triarios Trevirenses*, minùs unâ tertiâ, id est, *Petermengo*, qui faciunt 986. bonos penningos, plus minùs; & 266. tales schillingi, si planè æstimarentur ad 6. bonos penningos, efficerent horum 996.; quoniam verò abundarent 10. penningi, sic habes, cur posuerit Dictionarium: bey nahe.

XXV. Quæstio hæc controvertebatur anno 1684. coram Regimine Electorali Confluentino inter Abbatiam de *Rommersdorff*, & Communitatem in *Gladbach*. *Histor. Diplom. Trevir. Tom. II. pag. 890.*, & fuit judicatum juxta declarationem *Zygoftatis generalis Circuli Rhenani inferioris*, qui respondit, *duos Radder-Schillingos* secundùm observationes monetarias semper fuisse *unum Radder-Album*; & quidem *de bonis*, quales cudebantur *ante annum 1511.*, quorum 24. faciebant florenum monetæ rotatæ. \*

\* Florenum cape tunc pro 6. capitellis; nam *albus rotatus* (intellige *simplex*) erat *Triarius Trevirensis*; sicut probat sæpè laudata *Ordinatio monetaria Joannis Badensis* de anno 1502., nec non *Registrum Salicum* pro telonio in *Cunostein-Engers* de annis 1557. & 1659. Ein Rader-Albus *Trierischer*





rischer Wehrung 3. Albus: & in posteriore: Vor ein Rader-Albus soll Zoll-Schreiber verrechnen Chur-Erierischer Wehrung 3. Albus. Hunc bacionem Petrinum vocat etiam *Hist. Diplom. Trevir. Tom. II. pag. 891. ad nummum Richardi Elector. XXVIum, pag. 885. exhibitum, einen Rader-Album, monendo, non esse eum ejusdem bonitatis, uti præcedentes, illos nempe, de quibus supra in §. XVI.; & rectè quidem, quia albus rotatus alius erat duplex, alius simplex; præcedentes sunt duplices albi rotati, ille verò sub icone XXVI. tantum cusus fuit pro simplici.*

XXVI. Secundum hanc ergò determinationem Zygoftatis unus Rader-Schilling forent tres Crucigeri Trevirenses, duo cum dimidio Rhenenses, duo Crucigeri Imperii.\*

\* Sed vereor, ne ista determinatio pro terris Trevirensibus non procedat. Treviri, sicut ostensum fuit, usualiter vocabant Crucigerum einen Schilling; Radder-Geld vocabant Schwehr-Geld in suo genere: sic Radder-Album vocabant Triarium, vel bacionem suam, ad distinctionem levioris bacionis Rhenani; verisimile est, Radder-Schillingos ipsis fuisse gravissimos omnium Schillingorum, id est, Crucigerorum. Sed fateor, me hæcenus versari in obscuro. Illius verò sum certus, impossibile esse, ut absque evidenti errore 12. Rader-Schilling connumerentur in unum Petermengum, sicut in Ecclesia hujate S. Gangolphi connumerari, testimonio accepi.

XXVII. Sed nec dissimulandum est, quòd arbitrarius Computantium usus interdum assumpserit solidum pro infimo divisore mone-tarum in faciendis rationibus suis. Computus Præsentiaræ S. Simeonis de anno 1473. sex solidos computavit in unum Petermen-gum.\*

\* In expositis sic habet: Item pro 7. vasis conducendis ad Mosellam, de quolibet 2. solidos: facit 2. albos 2. solidos. Et adhuc latius in receptis vini ducillati (Des verjapfften Weins) ubi sic: Dua petia vini albi vendita sunt: quarta (eine Maasß Wein) pro 4. Hallensibus, recepi in pecuniâ 18. floren., 4. albos, 2. solid. Alia dua petia, quarta pro 3. Hallensibus, recepi in pecuniâ 8. floren. Facit in summâ vini albi ducillati 26. floren. 4. alb. 2. solid. Vini rubri, quarta pro 4. Hallensibus, duo Carrata (zwei Fuder) 18. floren. 22. alb. 4. solidos. Summa 45. flor. 3. albi. Et sic unus solidus erat ipsi pars tertia unius Crucigeri Trevirensis. Ita quoque fecit alius Computans Hospitalis S. Simeonis ad S. Nicolaum de anno 1572., certè non in-spectis



ſpectis literis conſtituti cenſus, nec gnarus, *quid verè intellexerint Veteres per ſolidum.* Sic autem Hoſpitalarius poſuit: *Item ex domo Auf dem Staffel (ad ſtapulam) in acie vici Teutonicorum, quotannis 9. ſolidi; conſtituunt 1  $\frac{1}{2}$ . albos, faciunt per annos 12. octodecim albos.*

XXVIII. Alius Computans prædictæ Præſentiarie de anno 1594. accepit ſolidum planè pro *duodecimâ parte* unius Petermengi, \* quæ eſt *poſtremus* uſque modò diſiſor Computantium; non enim curant ulteriorem minutiam, quando Petermengum diſiſerunt in octo penningos, aut *duodecim* mentales Hallenſes Trevericos. *Mentales* dico; quia in rerum naturâ minimus *realis* diſiſor eſt *penningus cupreus*, electo cupro, ut ſit propter magnitudinem manu tractabilior.

\* Sic autem recenſet diſtributiones Chori in aliquo latere:

Dominicâ SSmæ Trinitatis	4. flor.	9. alb.	2. ſolid.
Dominicâ 1. poſt Trinitatis	4. -	23. alb.	-
Domin. 2dâ	4. -	20. -	-
Domin. 3tiâ	3. -	21. -	6. ſolid.
Domin. 4tâ	4. -	6. -	6. -
Domin. 5tâ	4. -	15. -	2. -
Domin. 6tâ	5. -	-	4. -
Domin. 7timâ	4. -	7. -	-
Domin. octavâ	4. -	6. -	4. -
Domin. nonâ	4. -	13. -	8. -
Domin. decimâ	4. -	18. -	4. -
Domin. undecimâ	4. -	8. -	6. -
Item pro 7. ſeptimanis reſtantibus	28.	-	-
Summa lateris	82. flor.	5. alb.	6. ſolidi.

XXIX. Sed! in *emendis cenſibus* non attendebatur ille *arbitrarius ſolidus*, quem unuſquiſque Computans ſibi elegerat pro diſiſore: quid



quid enim? An (sicut literas habeo, per quas annui solidi 4. emebantur pro 45. solidis capitalis) pergamena charta, figillo munita, confecta fuisset super elocatis in censum nequidem 4. Petermengis, siquidem 12. solidi in his fecissent modò unum Petermengum? Quomodo (sicut quoque literas ostendere possum) ex elocato capitali 10. *solidorum* redibat annua pensio 12. *denariorum*? In talibus non possunt alii solidi accipi, vel intelligi, quàm *ficti* 12. denariorum.\*

\* Hallucinabatur ergo Receptura Ecclesiæ Parochialis S. Laurentii de hac urbe, quæ ab anno 1407. accepit à Censitis suis unum Petermengum pro 12. solidis. Super quo nihil aliud dico, quàm subrepisse hinc ex ignorantia rei monetariæ absurditatem hanc ulteriorem, quòd, cum *libra* fuerit 20., aut saltem 10. solidi, *prima* nequidem *duos*, *secunda* nequidem *unum* fecisset Petermengum.

XXX. Quid autem nunc in puncto juris? An, si per 40. annos in nostro Treviratu censitæ ab antiquo (putà his temporibus, ubi elocabantur passim de stylo omnes pecuniæ per *libram*, & *solidum*) solvissent *denariorum solidos*, in literis certo numero expressos, vel per unum Petermengum, vel per unum Crucigerum, vel sex solidos computando in Petermengum, vel planè duodecim? An capti essent Creditores nostro statuto Patriæ tit. 21. §. 7. Wann der Creditor vom Schuldner 40. Jahr lang in gewissem Valor die Zinsen UNIFORMITER, ohne Widerred, annimmt, solle der Glaubiger nach Verfließung solcher Zeit ein mehreres zu fordern nicht befugt seyn? Videntur hoc casu capti esse, etiam per Jus commune, Cap. 20. de censib., ubi, loco *majoris* monetæ, solutà postmodum *minore*, creditori obmovebatur præscriptio; repellatur autem, quia præscriptioni decrant 4. anni. Ita *Panormitan.* ibid., & DD. communiter.\*

\* Excipe tamen, 1) nisi debitor, minoris monetæ genus solvens, fuisset *in malâ fide*, benè sciens, *tempore contractus* alios solidos fuisse intellectos: 2) Nisi debitor *dubitans* minùs solvisset, professus incertitudinem rectæ solutionis, paratus



paratus solvere, sicut contractum erat, si veritas ejus, quod solvendum veniret, aliquando detegeretur. Primo enim casu obstaret præscriptioni R. J. 2. in 6. Secundo contraria præscriptioni intentio.

Et hæc difficilem conatum concludo, rogans, ut, si qui in eo erratum aliquid deprehenderint, auctori benevolè significant; publicè enim interest, talia sphalmata non manere. Et quoniam, auxiliante Deo, adhuc intenduntur tres alii conatus, videlicet de *vetere Grosso, Denario, & Floreno*, sic rogantur illi, qui veteres monetas fortè possident, ut, salvâ restitutione, vel aliâ satisfactione, easdem Præfidi commodare, vel cedere non graventur.

## EXERCITIUM

*Ex Chartâ publicâ de anno 1370.*

Vendebatur domus *Sandermann* \* in plateâ S. Simeonis Treviris *octingentis libris denariorum Trevirensium* cursibilibus in civitate Trevirensi. Solutio fiebat

- 1) In *quinquaginta Mutombis* aureis, duplicibus, facientibus *centum sexaginta libras*, quolibet pro tribus libris, *quatuor solidis*, computato.
- 2) In *ducentis florenis parvis antiquis de florentiâ* boni auri, & gravioris ponderis *Moguntinensis*, facientibus *trecentas septuaginta libras*, quolibet *per triginta septem solidos* computato; ac
- 3) In *grossis, & sterlingis Trevirensibus*, *ducentas septuaginta libras*, *grosso pro tribus solidis*, & *sterlingo pro 6. denariis* computato.

Quæritur: An hi solidi fuerint *ficti*, an *certe speciei*?

\* Zum kleinen guldenen Mapp dicta, quam anno 1620, tenuit Nobilis Domi-  
cellus Philippus à Piesport.



SPICILEGIA.

Ad §. VI. in Notâ.

POst anteriora jam impressa inciderunt meas in manus tres nummi BOËMUNDI II. Archi-Episcopi Trevir. ex Gente Saar-Brücken, illius ipsius modi, quem exhibet *Prodrom. Histor. Trevir. Tom. I. pag. 642. num. XVIII.* In facie principali est imago Boëmundi mitrati pectore tenus cum stolâ. Circumscriptio: *Boëmundus.* In aversâ duæ decussatæ claves, insignia Archi-Episcopatus Trevirensis, hodiernum retenta in Curiâ Consistoriali pro expeditionibus. Circumscriptio: *Archieps Trevir.* Nummus ipse, licet multò largior Trilingo *Balduini*, non est tamen, nisi *trium denariorum*, ein *Drensling.* Lothonem habet septimi gradûs, sicut pleræque monetæ veteres duorum Crucigerorum Imperii. Talium itaque nummorum *quatuor* fecerunt *medium-capitellum.*

Ad §. VIII. in Notâ.

Quod hîc de antiquo *Crucigero*, simili *albis Rhenensibus*, quos inter est præstantior *der Creuz-Albus*, scripsi, hoc confirmat sequens nummus *Cruciger Philippi Regis*, collatus cum *veteri Albo cruciato.*



Pon-



Ponderat unus, & alter unam 16tam, ein Sechs-zehen-Theil; lotho utriusque est septimi gradus; & sic utique valore superavit *Petermengum*, sive *Schillingum*, Trevirensis, de quo ait Ordinatio *Joannis* Badensis de anno 1502., quòd iste valere debeat *quatuor* Hallenses rotatos, *Cruciger* autem *quinque*. Illo namque tempore non est vestigium, quòd apud nos illa moneta, quæ postea dicta fuit *Cruciger*, & hodiernum dicitur, vocaretur hoc nomine, sed *denarius*, vel *penningus*.

Ad §. IX.

Grossus *Petrinus*, cujus plurimos cuneos videsis in *Hist. Diplom. Trevir. Tom. II. pag. 885. & seqq.* Num. XII. XIV. XV. XVI. XVIII. XIX. XX. XXI. XXII. XXVI., & ego ultra sex possideo, est pro certo *sex Petermengorum petia*, si fuerit justis ponderis; sicut postremus eorum, cusus sub *Lothario à Metternich*, quorum duos vidi, & examinavi, expressè à latere sinistro D. Petri stantis adscriptum habet: *VI. AL.*, quæ literæ *ibid. Num. XXVI.*, oscitante sculptore, omissæ sunt. *Viginti* grossi *Petrini* ergò sunt 120. *Petermengi*: *viginti* grossi *Petrini* sunt florenus aureus *Weneri*, faciens 6. libras valoris Trevirensis: ergò *una libra fuerunt 20. Petermengi*, servando nempè tunc *etiam in solidis speciei*, quòd *libra sit 20. solidi*, sicuti servabatur in *solidis quantitatis*. Cùm verò non minùs ante annos 250. legatur in Computibus, quòd 10. *Petermengi fecerint libram* (§. XXII.) firmatur distinctio, quam feci nuper in *Dissert. de Solido ficto* §. XVII., quòd Trevirenses habuerint *duplicem libram*, *majorem* videlicet, & *minorem*: hæc solum in *usu*, seu *manuali pagamento* usurpabatur; illa verò in *designando valore majorum monetarum*, & in *literis emptionum censuum perpetuorum*, in quibus casibus libra sumitur semper pro 20. solidis, sicut hoc, examinatis quàm plurimis documentis, constanter inveni, & exempli causâ sit unum



de anno 1284. figillo Curiae Archiep. Trevir. munitum, in quo sic: *Vendimus decem solidos annui censûs in perpetuum pro decem libris, & octo solidis.* Et sic eleutero, quod scripseram in dictâ *Dissert. §. VIII. in not., & cit. §. XVII.*, ne quis antiquas obligationes, in quibus fors per libras expressa est, cum damno creditoris, qui censum emit libris, interpretetur de libris 10. solidorum duntaxat.

*Ad §. XIX. in Notâ.*

Ordinatio Joannis Badensis fecit mihi multum meditationis, donec eam assequerer. Urgebat illa introductionem *monetae rotatae* contra usum popularem. Statuinauit ibi valorem unius *albi rotati* à *primævis* Hallensibus, & dixit, usque ad annum 1475. album rotatum æstimatum fuisse ad 12. *Hallenses*, sicut hodiernum unus *Triarius* Trevirensis valet 12. duplos nostros. Et *tales Hallenses* intelligit ista ordinatio eâ parte, quâ declarat, in quo valore officina sua monetaria esset receptuta veteres monetas. *Prodrom. Histor. Diplom. Trev. Tom. II. pag. 1182. column. 1. & 2.* Sed in subsequente parte intelligit *alios Hallenses*, dum ait, anno 1502. valere unum album rotatum 20. *Hallenses*, nempe 5. *Crucigeros Rheni*, quorum plurimi hodiernum inscribuntur: *III. Heller*, alii, ejusdem tamen valoris: *III. Pfening*, qui 20. *Hallenses* tantum faciunt 12. duplos *Trevirenses*, id est, sex nostrorum mediorum *Petermengorum*. Regula-  
vit *florenum Rbenensem in auro* ita: *Sees = und zwanzig Redder = Wysspenningh* gelten eynen *Rynschen Gold = Gulden*, und vier = und zwanzig derselben *Redder = Wysspenningh* sollen für einen *Gulden an Pagament* gerechnet werden; auch die halben *Wysspenningh, Pfeningh, und Heller Redder = Gelds* soll hinfürter die *Wehrschafft* seyn, und bleiben. Ecce dividentes monetas: *Florenus Rbenanus auri* continet 26. *Triarios Trevir.*, *florenus Rbenanus pagamenti* 24. *Triarios: unus albus*  
rota-



*rotatus* dividitur in duos dimidios : unus dimidius in *penningos*, id est, *Crucigeros Imperii* sæpè descriptos, & *Cruciger* iste in *Hallenses*. Ex his pronum erit videre, in *quosdam Hallenses* primitus conceptus fuerit *Albus rotatus*, & in quos demùm *ascenderit*, cum valuit 20. *Hallenses*.

*Additio.* Sed & *alborum* meminit hæc *Joannis Badensis Ordinatio*. E. g. *Item anno 1502., darinne wir hzt syn* (valuit *florenus Rhenensis* in auro) 43. *albus: der Redder-Albus-20. Heller;* Cur 43. *albos*? Cum iste *florenus* usque ad annum 1474. valuerit ad summum duntaxat 26. *albos*, nempe 24. per se, & duos alios *per modum alicujus auctarii*, vulgò *aggio!* In causâ fuit *alborum* à *rotato albo* identidem progrediens *declinatio*, ac in *valore descensus*. Sic illud genus *albi*, quorum anno 1480. *triginta* idem faciebant, quod 24. *albi rotati*, fuerat *bacio modernus Rhenanus*. Econtra ille, quorum 43. anno 1502. faciebant 26. *albos rotatos*, erat *albus 3. Crucigerorum Rhenensium*, qui hodiè dicitur *ein Groschen*, olim *ein Weisz-Groschen*. Sume enim *album rotatum* pro 5. *Crucigeris Rhenensibus*, sicut hodieque valet, quinquies 26. sunt 130. Sume 43. *albos illos*, qui præstabant 26. *albos rotatos* per 3. *Crucigeros*, & ter 43. faciunt 129. Deerat unus *Cruciger Rhenensis*, qui in *rotundâ æstimatione* omittebatur. Videas exhinc, multum *confusionis* contra *monetæ rotatæ usum* contribuisse, tum *diminutionem penningorum, & Hallensium*, tum etiam *bacionum, & dimidiarum bacionum Rhenensium*, nec non *grossorum* ad tres *Crucigeros* adinventionem, quæ *monetæ omnes vocabantur Albi*, talémque habebant *rationem*, ut difficulter quadrarent ad *divisores monetæ rotatæ*, qui erant *Trilingus, & Cruciger Imperii*.





Ad §. XIX.

Huc pertinet Ordinatio monetaria Quatuor Rheni Principum Electorum de anno 1537.: Es soll auch eyn jeder insonderheit gewarnet seyn, daß hinfürter keine andere Pfennig, oder Heller wehrhafft seyn sollen, dann die, so Redder, . . . . daß hinfürter der Gold = Galden mit dem silbernen Guldner gleich = geachtet, und der Wehr = Pfennig dafür seyn soll, dreyzehn Doppel = Weißpfennig, oder Groschen (en album rotatum *duplicem*, sive grossum) Sechs = und zwanzig einleziger Redder = Weißpfennig (en album rotatum *simpli- cem*) Zween = und fünfzig Halb = Redder = Weißpfennig: en album, sive Triarium, *dimidium*.

Ad §. XXVI. in Not.

Sicut fecit usus popularis cum *dimidio schillingo*, abiciens tō Halb; ita quoque cum *dimidio Redder = Albo*; nam, voce: Halb abjecta, *dimidium Triarium Trevirensis* vocavit *Redder = Album*; & sic per consequentiam *dimidium* ejus einen *Redder = Schilling*. Deprehendi hoc in Computu receptorum subsidiorum Cleri de anno 1505., ubi sic: *Summa lateris 14. flor. 12. alb. monetæ Trevirensis* (29. Capitella sunt) & 105. flor. *Rhenenses auri. Facit in auro 112. flor. Rhen. auri, 24. albos rotatos.* Hic sumpsit Computans Receptor florenum auri Rhenensem non planè pro 15. Triariis, sive 45. Petermengis, Trevirensibus; sed pro 44. Petermengis 6<sup>6</sup>/<sub>7</sub>. Helleris nostris, sive pro 29. *dimidiis* Triariis, & Crucigero Trevirensi, quod miror. Quemadmodum quoque in Computu eorundem subsidiorum sic legitur: 3028. flor. 23. alb. 4. Heller monetæ Trevir. facit in monetâ Rhenensi 1652. floren. auri  $\frac{1}{3}$ . alb. rotat. Quidquid sit: hic albus *rotatus* fuit acceptus pro *dimidio* Triario, non pro *integro*.





*tegro.* Quòdque hæc albi rotati in dimidium, & integrum divisio fuerit usitata, probat ibidem alius passus: *Item 134. flor. Rben. in albis integris, & dimidiis rotatis.* His visis tantò firmitùs teneo, quòd unus *Nader* Schillingus fuerit Cruciger Imperii, sive quarta pars Triarii Trevirensis. Qualium 9. Crucigerorum monetam cursibilem cudi fecit anno 1663. Elector noster *Carolus Casparus*, cum inscriptione: *8. vor ein Reichsthaler*: unus imperialis sunt 72. Crucigeri Imperii: octies 9. sunt 72. Erat igitur, secundùm modum loquendi illius temporis, *ein 9ter*, sicut hodiernum alicubi dantur *Zehener, Siebenzehner.* Cuneum exhibeo, quia non reperitur in Honthemianis, ut Trevirensibus revocem oblitteratam apud eos penitùs ideam *boni*, sive gravissimi, Crucigeri: Pensitat 1. Quint.  $\frac{1}{8}$ . Theil. In louthone habet 9.



PARERGA





# PARERGA.

*Ex Jure Gentium.*

TEXTUS.

**S**ui, & domestici Hæredes, vivo quoque patre, quodammodo domini existimantur. §. 2. Inst. de Hæredum qualitat. & statim morte parentis quasi continuatur dominium. §. 3. Inst. de Hæred., qui ab intest.

**ILLATIO.** Itaque filii familias post mortem patris non hæreditatem percipere videntur, sed magis liberam bonorum administrationem consequuntur. L. 11. ff. de lib. & posthom.

**QUÆSTIO I.** In quo consistit hoc quasi-dominium? R. In condominio cum patre citrà jus administrandi.

**II.** Quis facit filium condominum paternorum? R. Non lex civilis, nec naturalis, sed intentio patris, sibi, & sanguini suo acquirentis.

*Ex Jure Canonico.*

Ad Tit. XIII. Lib. III. Decretalium,

*Prelatus sine ulla solemnitate licitè constituit in bonis Ecclesie Hypothecam generalem; jus autem, Ecclesie suæ delatum, sive donatione, sive legato, sive institutione, aut successione, illicitè, ac invadè repudiat.*

Ad